

EPISTULA LEONINA XXXVIII

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS GRATIS ET SINE ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-XXXVI INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina.php>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENSA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM DUODEQUADRAGESIMUM !

ARGUMENTA

SENTENTIOLA THOMAE HOBBS – “SI NON CASTE, TAMEN CAUTE” – SILENTIUM PECUNIA REDEMPTUM – SACERDOS UNGUE DIABOLI CORREPTUS – SACERDOS A PUERO MERITORIO INTERFECTUS – SACERDOS AB ASTYNOMIS COMPREHENSUS – SERA EXCUSATIO PAPAE - MYTHI GRAECORUM (XXIII) - VOCABULA DOMESTICA (VII).

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.

Cara Lectrix, Care Lector,

valdê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam duodequadragesimam. Haec Epistula incohatur verbis illustribus, quae fecit Thomas Hobbes Britannus philosophus auctor «Leviathanis», quo describit civitatem potestate absolutâ instructam, ne immineat Behemoth alterum monstrum biblicum, quod Hobbesio est symbolum belli civilis.

Secundo loco legas de lupis quibusdam, qui ovibus appropinquare solent vestibus induti pastorum. Referemus enim de scandalis ecclesiae catholicae superabundantibus: agetur de sensu verborum quae sunt «Si non castê, tamen cautê», id est de lege taciturnitatis Vaticanâ, qualis a Siciliae trifurciferis dicitur «omertà». Hanc rem consideranti in mentem veniunt verba illa Iuvenalis quae sunt: «Difficile est saturam non scribere» necnon «Qui Curios simulant et bacchanalia vivunt». Et quantum attinet ad caelibatûs catholici castimoniam coacticiam, haud absurdum videtur verba afferre illa Horatiana: «Naturam expellas furcâ, tamen usque recurret». Nimis saepe fit, ut praedicator evadat paedicator, qualis est ille Eumolpus, de quo narrat Petronius (sat.85-87). Eumolpus autem paganus fuit neque contendit se fungi officio divino, sed parentes pueri cuiusdam fraudans vaferrimê simulavit se esse paedagogum, cum reverâ esset παιδεραστής. Similia fecit Geroldus Becker, qui annis 1972-85 director scholae Silvae Odinianae (“Odenwaldschule”) specie paedagogiae reformatae methodis laudatissimis usus reverâ e discipulis fecit spintrias, e lycêo fecit lupânar. Et quid de Hartmodo a Hentig, quem permulti per decennia crediderant esse paedagogiae scholaris “o et praesidium et dulce decus”? En istum Geroldi ἐμβασικοίτην! (cfr PETRON.24,1) Quis nunc legere vult istius verba lapsantia?

Hartmodi, qui laudabat Socratem, sed Eumolpo cevebat? «Curios simulant et bacchanalia vivunt» !

Tertio loco invenies Mythorum Graecorum partem vicesimam tertiam (XXIII) et Vocabulorum domesticorum sextam (VI).


Cara Lectrix, care Lector, congaude mecum de hac Epistulâ Leoninâ et pancraticê vale et perge nobis favere. Utinam Tibi sint dies aestivi quam maximê recreabiles !

d.Veneris, 30.º m.Iulii, a.2010

**Nicolaus Groß
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>



HOMO HOMINI LUPUS

THOMAS HOBBS

(1588-1679)

„SI NON CASTĒ, TAMEN CAUTĒ“

ΕΥΑΓΓΕΛΙΟΝ ΚΑΤΑ ΜΑΘΘΑΙΟΝ 18,6

Ὅς ἄν σκανδαλίση ἓνα τῶν μικρῶν τούτων τῶν πιστευόντων εἰς ἐμέ, συμφέρει αὐτῷ, ἵνα κρεμασθῇ μύλος ὄνικος περὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ καὶ καταποντισθῇ ἐν ᾧ πελάγει τῆς θαλάσσης.




VULG. Matth. 18,6 Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius, et demergatur in profundum maris.



ΕΥΑΓΓΕΛΙΟΝ ΚΑΤΑ ΜΑΘΘΑΙΟΝ 7,15

Προσέχετε ἀπὸ τῶν ψευδοπροφητῶν, οἵτινες ἔρχονται πρὸς ὑμᾶς ἐν ἐνδύμασι προβάτων, ἔσωθεν δέ εἰσιν λύκοι ἄρπαγες.

MATTH.7,15 Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.



QUAESTIO : QUID EST PEIUS QUAM LUPUS IN VESTIMENTO OVIS?
RESPONSUM : LUPUS IN VESTIMENTO PASTORIS. -

ΠΡΑΞΕΙΣ ΑΠΟΣΤΟΛΩΝ 20,29-30

Ἐγὼ οἶδα ὅτι εἰσελεύσονται μετὰ τὴν ἄφιξίν μου λύκοι βαρεῖς εἰς ὑμᾶς μὴ φειδόμενοι τοῦ ποιμνίου, καὶ ἐξ ὑμῶν αὐτῶν ἀναστήσονται ἄνδρες λαλοῦντες διεστραμμένα τοῦ ἀποσπᾶν τοὺς μαθητὰς ὀπίσω ἑαυτῶν.

ACTUS APOSTOLORUM 20,29 Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi graves in vos non parcentes gregi. Et ex vobis exsurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.

**DIFFICILE EST SATURAM NON
SCRIBERE !**

IUVENALIS Satura I 30

**QUI CURIOS SIMULANT ET
BACCHANALIA VIVUNT**

IUVENALIS Satura II 3

**NATURAM EXPELLAS FURCA,
TAMEN USQUE RECURRET.**

HORATIUS Epistula I 10



**SACERDOTES PUERARII - ECCLESIA CATHOLICA:
»NOLITE LABORARE! NOS TANDEM OPERAM DAMUS, UT
FINIAMUS ISTAM DIFFICULTATEM.«**

CREDAT IUDAEUS APPELLA / NON EGO...

HORATIUS, Sermo I 5,100sq.

Die VII mensis Ianuarii MMVIII

Ex Civitate Vaticanâ: Oratio pro eis, qui delictis sexualibus a sacerdotibus commissis afflicti sunt

Ad preces Deo adhibendas pro eis, qui afflicti sunt a sacerdotibus, qui contra sextum Decalogi praeceptum deliquêrunt, Sancta Sedes adhortata est. Congregationis pro Clericis praefectus, *Claudius Cardinalis Hummes*, hac mente ad adorationem eucharisticam continuam movit. Interesse delicta a sacerdotibus contra sextum Decalogi praeceptum commissa confiteri atque non tacitê habere dixit. A quodam diurnario actorum diurnorum Vaticanorum, quae vulgo "*L'Osservatore Romano*" appellantur, interrogatus Cardinalis Brasilianus explicavit magni autem esse momenti praesertim sollicitudinem afflictorum. "Ab omnibus", inquit, "adorationem eucharisticam precamur, ut coram Deo delicta commissa expiemus et afflictorum dignitatem videamus."

CATHOLICI

Silentium pecuniâ redemptum

Scripsêrunt Conny Neumann et Peter Wensierski, Latinê reddidit Nicolaus Groß

Pecuniâ modo turpi, ferê illegitimo oblatâ ecclesia conata erat tutari vitiatorem parvulorum talari indutum – ita factum est, ut îdem iterum pueros ministros subigitaret.

Novi agnuli ad pastorem salutandum comparaverant donum vi symbolicâ praeditum: Cum *Petrus K.* sacerdos catholicus m.Sept. a.2004 in *Riekofen(o)* vico prope Ratisbonam (*Regensburg, urbem Bavariae*) sito munus suum susciperet gerendum, eidem obtulêrunt magnam lucernam. Utinam lumen Dei ferret *Riekofenum* in vicum et inspiceret etiam angulos obscuros.

ECCLESIA CATHOLICA: SACERDOS VERSANS IN LUMINE OBSCURO



17.09.2007

Episcopus Müller: A quo animas parvulorum probatas esse experimento crudeli



17.09.2007

Ecclesia paroecialis *Riekofeniana*: Nomina 100 parvulorum inesse indici testium

At nunc appâret eundem catholicum ipsum libenter petivisse angulos obscuros – eo fine, ut (sicut testes contendunt) subigaret pueros ministros. Mense Augusto exeunte îdem sacerdos iter voluptarium faciens propter periculum fugiendi comprehensus est ab astynomis investigatoribus.

Nunc îdem vir divinus sedet custodiâ clatrâtâ inclusus, necnon Riekofeniani christifideles sunt consternatissimi. Qui casus in episcopatu Ratisboniano factus nescimus an fiat scandalon venereum unum e gravissimis inter Germanos catholicos umquam factis. Vehementia enim sunt etiam opprobria quae dicuntur *Gerhardo Ludovico Müller* episcopo Ratisbonensi. Diurnariis ipsius SPIEGEL praesto sunt documenta, quibus demonstratur episcopi ordinariatum – in margine legalitatis extremâ – conatum esse celare abusum parvuli venereum: ecclesiam voluisse silentium redimere pecuniâ. Quidam adolescens, cui sacerdos stuprum intulerat, viris ecclesiasticis obicit hoc: "Isti non curant victimas, sed praesertim id, ne quid emânet, ne quid patefiat. Hoc autem dolet."



Parochus Petrus K. (2001): Insolitas factas esse lusiunculas

Nam sacerdos K., qui hodie est 39 annos natus, iam annis antea deprehensus erat vitiator parvulorum. In oppidulo *Viechtach*, quod est vix unâ horâ itineris autocinetici a vico Riekhofeno remotum, habitat *Iohanna T.* 46 annos nata, quae vix animo potest percipere, quid factum sit Riekofeni. Quae mulier enim compluries praemonuerat talia posse fieri. *Iohanna T.*, cum recordetur parochum K. et episcopatûs dicta factaque, indignata: Se irasci de "istâ rerum reticentiâ et celatione et fucatione iam ex initio factâ".

Nam sacerdos K. iam subigitaverat ambos filios Iohannae, inter dies Paschales a.1999: "Nos" Iohanna T. inquit „in Kolpingianâ domo Viechtachiensi cum aliis familiis colloquentes parvulos curandos tradideramus capellano K.“ Idem sacerdos cum parvulis ludum latitandi ludens eosdem lacessebat, ut venirent ad se in angulos quam abditissimos.

Inter hunc ludum sacerdos filium Iohannae novem annos natum urgens eiusdem genitalia subigitabat. Deinde a Benedicto fratre pueri duodecim annos nato flagitavit, ut se exueret. Qui puer timefactus (CIC.off.2,24) clerico oboedivit. Sacerdos nunc Benedictum inter femora subigitavit.

Sed soror Benedicti undenaria cum omnia spectavisset, parentibus domum redeuntibus rettulit de lusiunculis sacerdotis insolitis.

Parentes autem statim de hac re questi sunt apud vicarium generalem. At Iohanna T. dicit ordinariatum Ratisbonensem sibi persuasisse, ne rem indicarent astynomis. Casum potius esse tractandum intra episcopatum, clam publico.

D.25. m. Nov. a. 1999 inter familiam et stupratorem et ordinariatum episcopalem pacta est conventio perquam dubia. Qua in conventionem usque nunc publicè ignota leguntur haec: "Per commodum parvulorum bene intellectum et voluntatem parentum verbis expressam ut servetur silentium". Benedictus illo tempore a parcho accepit 4000 (quattuor milia) marcarum, eius soror 1000 (mille) marcas, frater 1500 (mille quingentas) marcas ut pecuniam doloris.

At mater etiam ab episcopatu postulavit, ut scripto affirmaret, ne sacerdos subigator iterum adhiberetur ad adulescentes curandos: "Non possum tranquillè dormire cogitans fieri posse, ut iste destruat aliorum quoque parvulorum animas."

Apparet Iohannam haud iniustè timuisse. At vir episcopatus iustitarius recusavit, ne hoc affirmaret; idem familiae rescripsit talia „non posse probari ab ordinariatu episcopali“. Ecclesiam tantummodo posse promittere „Dominum K. in futurum nullo munere instructum iri nisi re diligenter decretâ“.

Familia subigationibus consternata saltem id voluit reservare, ut sibi liceret sacerdotem postea indicare astynomis. At etiam hoc recusatum est ab ordinariatu: "Cum oporteat, ut futurum munus sacerdotale Domini K. in neminem competat nisi in ordinariatum episcopalem, qui in genere et tempore muneris eligendo respiciet casus praeteritos, non comprobamus, quod reservetur indicium faciendum“.

Denique familia conventioni silentii servandi subscripsit.

At nonnullis mensibus transactis mulier quaedam patri nota tamen astynomis indicium fecit sacerdotis. Nam pater huic mulieri in nosocomio psychiatrico panderat rem secretam. Qui ex eo tempore, quo filii sui a sacerdote erant subigati, laboravit ex animâ. Sic factum est, ut capellanus K. m. Iulio a. 2000 e munere Viechtachiano dimissus mandato poenali in probationem damnaretur ad custodiam 12 mensium.

Quo idem parochus evaderet, familia T. primo non accepit. Nec Riekhofeno in vico ullus suspicatus est, unde venisset novus clericus.

Nam episcopatus e curriculo vitae sacerdotis epistulae paroeciali inscripto diligenter sustulerat tempus Viechtachense.

Necnon iam autumno a.2000, cum spatium probationis trienne modo erat incohatum, *Petrus K.* denuo convenit cum pueris ministris – contra ac nunc contendunt viri episcopo *Müller* suppositi: *Iacobus Schötz* enim locutor episcopatus proximâ praeteritâ adhuc septimanâ dixit ecclesiam sacerdoti K. non mandavisse munus prope parvulos gerendum nisi post therapiam quadriennem factam.

Secundum praedispositionem personalem idem vitiator parvulorum reverâ munus gessit curatoris animarum in gerontocomio. At multis diebus Dominicis idem etiam vices gessit parochi, cuius erat missam celebrare. E photographemate apparet iam vere a.2001 Petrum K. Riekhofeni celebrasse confirmationem necnon benedixisse uni minimum puero, cui testibus dicentibus postea intulit stuprum.

Generaliter juvenis ecclesiasticus adulescentes curabat quam diligentissimê: Qui dispensabat excursions, itinera Hammaburgum et Romam facienda, interdum cum adulescentulis in hypogeo fumabat fumaculum aquaticum. Petrus K. id assecutus est, ut centum ferê discipuli huius paroeciae K. fierent ministri missales. Inde parentes erant contenti.

Ita factum est, ut vicani crederent se esse fortunatos eo quod Petrus sacerdos a.2004 ab episcopatu fieret parochus vici *Riekofen-Schönach* et successor *Helmodi Grüneisl* clerici huius vici. "Ne ego quidem" *Grüneisl* lamentans inquit „aliquid scivi de rebus in oppido *Viechtach* factis. Haec mihi erant dicenda, si haec scivissem, nonnulla mihi mira viderentur“.

Mense autem Iulio exeunte Riekofeni patefactus est nuntius terribilis. Diurnarii ephemeridis localis rettulêrunt de casu Benedicti. Sed multi cives Riekofeniani illo tempore perrexêrunt stare cum sacerdote suo, nonnulli voluêrunt colligere subscriptiones, ut Petrus permanêret in officio suo. Iidem enim dixêrunt omnem hominem posse aliquando aberrare a semitâ virtutis. Petrus autem defuit proximae missae sacrae Dominicae – qui nosocomii lecto tenebatur collapsu nervali prostratus. Ibidem a parocho *Grüneisl* est visitatus: "Deinde mihi affirmavit rem Viechtachii factam numquam repetitum iri“.

At interim parentes vici coepêrunt suspicari. Nonnullae familiae in paroeciam arcessivêrunt psychologam, quae alioquin pro Weidenensi societate, cui nomen est „*Dornrose*“ curat parvulos constupratos. Quae mulier cum colloqueretur cum pueris ministris, iidem coepêrunt narrare. Dicta parvulorum nequaquam semper fide digna sunt – si de talibus rebus agitur, immo si interrogantur certo fine. At actores publici Norimbergenses, qui propter suspicionem stupri inquirunt in Petrum K., interim nomina centum ferê parvulorum inscripsêrunt indici testium.

Membra quidem consilii paroecialis putant se hoc saltem scire: Ex anno 2003 parochum – sic saltem parvuli narrant – denuo pueris stuprum intulisse. Quidam pater a pueris ministris accipit Petrum dici primo in excursionibus, postea in domo paroeciali, in qua habitaret sine oeconomâ, pueros singillatim invitasse eisdemque recitasse verba libri disciplinae sexualis. Deinde sacerdotem saepe ex pueris quaesivisse, num iam essent veneris periti. Postea illos subigitasse. Pater: „Quae actiones“ inquit „videntur fuisse multo peiores quam res Viechtachii factae.“

Haec usque nunc nihil sunt nisi suspiciones: adhuc fieri potest, ut res patefiant esse a parvulis errore fictas et phantasiâ exauctas. At parochus ipse usque nunc nihil vult dicere de omnibus his rebus, nihil vult explicare. Necnon suspicio est valde gravis eo quod confirmatur delicto Petri priore.

Itaque consiliarios communitatis paroeciales affirmant multas familias in hâc viculo duorum milium incolarum sibi videri fraudatas esse ab episcopatu et spe deceptas: Ecclesiam ausam esse experimentum facere in parvulorum animabus probandis. Vicanos vehementissimè irascuntur de episcopo *Müller*.

At Mülleriani opinantur se esse innocentes. *Schötz* locutor Mülleris dicit ordinariatu praesto esse testimonium viri periti, qui affirmaverit Petrum parochum K. esse sanatum. Clerico demum cum therapiam subiisset munus esse mandatum Riekofenianum.

Testimonium autem nihil est nisi sententia a therapeutâ illo dicta, qui parochum curaverat. Necnon in ordinariatu de industriâ praetermissum est Petrum, diu antequam testimonium illud scriptum sit, denuo êgisse cum parvulis.

Episcopus *Müller*, severus vir ecclesiasticus, qui alioquin parochos suos vituperare solet propter ipsos lapsûs leviores, nescit se ullam culpam contraxisse – ideoque per longum tempus non collocutus est cum civibus Riekofenianis, sed criticis obiecit, quod in se iniustè invehantur.

At manifestum est sub aegide *Mülleris* perquam leniter agi cum vitiatoribus parvulorum. Ut exemplum afferamus: Aestate a.2004 emanavit parochum quendam Falkenbergensem subigitasse puerum. Parentes victimae episcopatum adiêrunt, sed ipsi dicunt se esse dilatos variis frustrationibus. Astynomos demum cum adiissent, sacerdotem esse e munere dimissum.

Episcopus autem nihil vult dicere de casu Riekofeniano. Sed saltem ex diebus telephonat cum collegis, ut suadeant, num d.23 m.Sept. illuc iter sibi faciendum sit, cum novus parochus introducatur. Hâc enim tempore fieri poterit, ut primo conveniat parvulos stupratos – eorumque parentes indignatissimos.

VULG. Matth. 18,6 *Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius, et demergatur in profundum maris.*

Hanc relationem d. 17. m. Sept., a. 2007 in Germanico periodico interretiali, c. t. est „spiegel online“ editam e Theodisco sermone in Latinum convertit Nicolaus Groß praceptor Sedis interretialis domûsque editoriae, quae appellatur LEO LATINUS: <http://www.leolatinus.com/>

UUPS! - ET ORBI

Sacerdos ungue diaboli correptus

Scripsit Alexander Smoltczyk, in Latinum convertit Nicolaus Groß

Reverendus Thomas Stenico dicit se voluisse se insinuare in animas iuvenum sacerdotum cinaedorum. Hoc bene ei contigit. Nimis bene. Nunc îdem sacerdos curialis altioris gradûs ab officio suspensus est.

Ex Urbe. In hesternâ Precatione Angelicâ Papa Benedictus XVI. mentione evangelii secundum Lucam factâ dixit ad hominem totum sanandum necesse esse eiusdem animum altius penetrare, usque ad personam eiusdem intimam. Hoc ipsissimum facturus fuit Reverendus *Thomas (Tommaso) Stenico*, Praelatus Curialis sexagenarius, cum puero meritorio sedecim annos nato componens, ut in Sede Vaticanâ se convenirent, et sinens eundem puerum in stibadio pandiculari et dicens: „Tu es suavissimus“.



Reverendus Thomas Stenico: "Quam bonus puer tu es!"

Puer dixit: "Gratias" et sacerdos, qui magistratu altiore congregationis clericalis est instructus, accuratius dixit: „Tu es *nimis* suavis“. "Gratias, gratias" puer inquit, „sed tu es apud me, ut pecces contra Deum.“ – Thomas respondit „equidem hoc non sentio esse peccatum“, brevi post conventum finiturus: "Nihil faciemus, quia video te esse opinione praeiudicatâ. Te comitabor usque ad anabathrum. Si quis te steterit, ne cui quid dicas, intellegisne? Si volueris, telephona mecum. Quam bonus puer tu es!“

At ille puer non tam bonus fuit quam Thomae visus est. Nam catulaster sedecim annos natus iter fecit mandatu ipsius „La 7“ stationis televisificae independentis necnon microphono et microtelecamerâ instructus erat – secundum verba, quae facit Lucas versu 14 capituli 17 evangelii: „Ite, ostendite vos sacerdotibus!“ Postquam emissio "Exit" d.1. m.Oct. est facta (praelatus affirmavit „hoc episodium reverâ esse factum“), *Thomas Stenico* ab officio suspensus est "propter mores ab officio sacerdotali et Sanctâ Sede discrepantes“, ut dixit *Fridericus (Federico) Lombardi* locutor papalis. *Iulianus (Julián) Herranz* autem Cardinalis annuntiavit factum iri inquisitionem.

Thomas puerum meritorium cognoverat in dialogeo (*dialogêum, -êi n. i.q. *chatroom*) et telephono mobili cum eodem composuerat, ut die Dominico inter se convenirent: Audiuntur verba Thomae magnetophono clam recepta: "Tum unâ delectabimur“. Sacerdos puerum autocineto

secum abduxit. In autocineti ei narravit (haec omnia magnetophonice recepta sunt), quam facile esset Romae in urbe assequi consuetudines homosexuales et quam utilis in iisdem esset habitus sacerdotalis. Se ipsum per annum consuetudinem habuisse cum puero Siculo: „Nos fuimus par coniugum, conviximus, bellula consuetudine.“

Amicos sui sacerdotes habere „consuetudines cum pueris“, eosdemque non convenire in paroeciis, sed alibi, interdum, scilicet semper summam cum cautione et taciturnitate. Deinde Thomas ex puero quaerit, num secum vellet amori indulgere. In Sede Vaticana.

Thomas Stenico est sacerdos in Italia bene notus necnon in universitate studuit psychologiae peroscendae. Qui omni mane hora septima missam celebrat in Vaticana ecclesia Sanctae Annae. Idem solet recitare missam meridianam in magna statione televisifica catholica, quae appellatur *"Telepace"* necnon est auctor paginae interretialis valde officiosae, c.t. "Petrus" (www.petrus.it). Ibidem Thomas die Saturni scripsit se deceptum esse viribus obscuris: "Inveni esse consilium diabolicum cuiusdam gregis satanistarum, quo singuli sacerdotes publice diffamarentur." Se tantummodo simulavisse se esse cinaedum, se voluisse tamquam „furem inter fures versantem“ exquirere, num et quomodo Sacra Ecclesia subverteretur, eo quod satanistae pravum abuterentur singulorum sacerdotum cinaedorum infirmitate. "Istae fuerunt insidiae, ego factus sum victima experimenti mei, quo conarer, ut sum psychoanalyticus, ordinem Ecclesiae restituere". Pagina autem interretialis Petri hoc tempore ex interreti est exclusa.

Heri idem praelatus a diurnario ipsius ephemeridis, c.t. *"La Repubblica"*, interrogatus dixit se profecto multos homosexuales convenisse, etiam in Sede Vaticana, sed eo tantum consilio, ut illos adjuvaret, qui „in angustiis viverent, sive laici sive sacerdotes, propter istaec problemata omnia, quae spectant ad homosexualitatem.“ Thomas sibi non videtur esse peccator, neque ulla res explicationi suae contradicit nisi ipsissima evidentia rerum. Ceterum, etiamsi Thomas peccasset, tamen valerent verba Lucae: „Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum: et si poenitentiam egerit, dimitte illi. Et si septies in die peccaverit in te, et septies in die conversus fuerit ad te, dicens: Poenitet me, dimitte illi.“).

Relationem d.15.m.Oct., h.17.03, a.2007 in Germanico periodico interretiali, c.t. est „spiegel online“ editam e Theodisco sermone in Latinum convertit Nicolaus Groß praeceptor Sedis interretialis domusque editoriae, quae appellatur LEO LATINUS: <http://www.leolatinus.com/>

BRASILIA

Sacerdotem Germanum interfectum esse a puero meritorio

Astynomi nuntiant quendam sacerdotem episcopatus Trevirensis in Brasiliâ septentrionali esse interfectum. Puer meritorius* 18 (duodeviginti) annos natus paucis horis post homicidium arrestatus facinus confessus est.

Ianuariopoli ex urbe Brazilianâ – Astynomi indicant sacerdotem 46 (quadraginta sex) annos natum die Martis in habitaculo suo Belemensi compluribus cultri ictibus necatum esse. Brazilianus arrestatus cum interrogaretur, asseverabat se ipsum necessario defendisse. In urbe *Belém* capite borealis Brazilianae civitatis foederalis, cui nomen est *Pará*, locutor astynomicus declaravit causam facinoris adhuc esse investigandam.

Iuvenis 18 annos natus secundum legem Brazilianam damnari potest ad poenam custodiae summum 30 (triginta) annorum. Primâ in interrogatione dixerat se in sacerdotem incidisse in quodam *megalopolio (**megalopolium*, -i n. = angl. *supermarket*) eundemque domum euntem comitatum esse, ut apud eum interrete pervagaretur. In habitaculo sacerdotem tetigisse alterum genu suum; cum ipse sacerdotem repudiasset, illum cultro in se invectum esse. Locum facinoris vestigiis pugnae factae insignem fuisse necnon alteram manum alterumque bracchium iuvenis suspiciosi affecta esse profundis vulneribus incisivis.

Episcopatus Trevirensis Rhenaniae-Palatinatûs rettulit sacerdotem ex mense Septembri anni proximi praeteriti laborasse in seminario sacerdotali Sancti Casparis Belemensi. Eidem ibi manendum fuisse per quinquennium. Mediatrix Brazilianis nuntiatur îdem Germanus iam hodie sepultum iri in urbe *Belém*. *Orani Joao Tempesta* archiepiscopus Belemensis doluit, quod commissum esset „*scelus crudele*“.

*puer meritorius: De verbo cfr CIC.2,41,105...At vero te inquilino – non enim domino – personabant omnia vocibus ebriorum, natabant pavimenta vino, madebant parietes, ingenui pueri cum meritoriis, scorta inter matres familias versabantur.

Hanc relationem d.12. m.Apr. a.2007 in periodico interretiali „Spiegel online“ inventam e Theodisco sermone in Latinum convertit Nicolaus Groß praeceptor Sedis interretialis domûsque editoriae, quae appellatur LEO LATINUS:
<http://www.leolatinus.com/>

Hassia

Sacerdotem ab astynomis comprehensum esse

In Hassiâ boreali arrestatus est parochus catholicus. Qui accusatur, quod per annos infantes constupraverit. Îdem 49 annos natus ministros missales communitatis curabat. Dicitur constuprasse pueros eorum triginta.

Casseliâ ex oppido – Ille sacerdos catholicus dicitur annis ab 1994 ad 2001 in communitate suâ ecclesiasticâ Fritzlariensi abusus esse ministris missalibus. Actores publici Casselienses nuntiavêrunt in summâ esse victimas plus triginta.

Astynomi perquirentes invenêrunt indicia multa et gravia, quibus culpa sacerdotis demonstratur. *Manfredus Jung* actor publicus superior: "Agitur" inquit „de imaginibus ratione digitali compositis“. Parochus a iudice custodiariâ interrogatus confessus erat.

Sacerdos 49 annos natus non solum curavit pueros ministros missales, sed etiam munere functus est magistri religionis in catholicâ scholâ Ursulinâ, ubi ferê mille centum discipuli instituuntur. At usque nunc ex hac scholâ stupra nuntiata sunt nulla.

Papa Benedictus XVI. Die Veneris numerosos homines in Ecclesiâ Catholicâ abusum passos rogavit, ut ignoscerent et promisit Ecclesiam facturam esse omnia quae posset, ut parvulos in futurum protegeret.

Hanc relationem d.11.m.lun. a.2010 in periodico interretiali „Spiegel online“ editam (*titulus originalis: „Hessen: Polizei nimmt Priester wegen Missbrauchs fest“*<http://www.spiegel.de/panorama/justiz/0,1518,700203,00.html>) e Theodisco sermone in Latinum convertit Nicolaus Groß praeceptor Sedis interretialis domûsque editoriae, quae appellatur LEO LATINUS: <http://www.leolatinus.com/>

Homilia Romae habita

Papam homines abusum passos rogavisse, ut ignoscerent

Sera excusatio: Papa Benedictus homines abusum passos rogat, ut ignoscant.

Diu exspectata erant verba aperta atque dilucida a Papâ facienda – nunc facta sunt: Papa Benedictus XVI. homines in Ecclesiâ Catholicâ abusum sexualem passos rogavit, ut ignoscerent. Qui facere vult omnia quae potest, ut parvuli in futurum protegantur.

Româ ex urbe – Ex septimanis Ecclesia Catholica novis casibus abusuum sexualium non desinit commoveri – multi autem homines opinantur viros Vaticanos nondum satis clarê et perspicuê dixisse, quid de hac re sibi videretur. At nunc Papa Benedictus XVI. homines abusum passos rogavit, ut ignoscerent. Papa die Veneris in Plateâ Petri Romanâ coram 15.000 (quindecim milibus) sacerdotum missam sacram celebrans

dixit haec: "Nos quoque Deum hominesque hac re afflictos precamur, ut ignoscant simulque pollicemur nos omnia facere velle, ne talis abusus denuo fiat".

Haec erant verba usque nunc dilucidissima, quae praepositus Ecclesiae Catholicae fecit de numerosis casibus hominum minorennium a clericis catholicis constupratorum, qui his annis erant patefacti.



Sera excusatio: Papa Benedictus homines abusum passos rogat, ut ignoscant.

Simul Benedictus consilio adfuit sacerdotibus. Sacerdotium non solum esse munus sive officium, sed sacramentum. Papa dixit Deum adhibere sacerdotem hominem miserum, ut amor suus ultra omnem fragilitatem humanam in hoc mundo ad effectum adduceretur. Eo quod ipso Anno

Sacerdotis scandala patefacta essent, Ecclesiam cognovisse sibi mandatum esse, ut in futurum assiduê se purgaret.

Vespere proximo praeterito Papa vigilias habens precatorias defenderat caelibatum, i.e. praeceptum, quo sacerdotibus catholicis non licet conubium inire; idem enim praeceptum scandalis abusuum sexualium in controversiam deducta est. Benedictus affirmavit societati quidem hodiernae caelibatum esse videri „magnum scandalum“; at reverâ eundem esse „optimum remedium aliorum scandalorum, quae efficerentur insufficientiis nostris humanis“.

Propter scandala abusuum gravia, quae facta erant in institutis ecclesiasticis, his mensibus etiam in Germaniâ denuo de caelibatu vehementer disputabatur. Praeter alios brevi ante etiam archiepiscopus *Robertus Zollitsch*, praeses Germanicae conferentiae episcopalis, comprobaverat caelibatum esse aliquatenus remittendum.

Hanc relationem d.11.m.lun. a.2010 in periodico interretiali „Spiegel online“ editam (*titulus originalis: „Predigt in Rom: Papst bittet Missbrauchs-Opfer um Vergebung“* <http://www.spiegel.de/panorama/gesellschaft/0,1518,700106,00.html> e Theodisco sermone in Latinum convertit Nicolaus Groß praeceptor Sedis interretialis domûsque editoriae, quae appellatur LEO LATINUS: <http://www.leolatinus.com/>

MYTHI GRAECORUM (XXIII):

Iason et Medea

Mythi Classicae Antiquitatis a Gustavo Schwab Theodiscê narrati, a Nicolao Groß Latinê redditi.

Caelo ab Aurorâ vix illuminato, dum Argos ad navem heroum properat rem felicem nuntiaturus, virgo iam e lecto prosiluit, capillos flavos in nodum religavit, qui antea dependerant in gradûs lugubres compti, de genîs deterisit lacrimas maestas, se unxit nectareo oleo pretiosissimo.

Medea induit vestem magnificam aureis acubus pulchrê incurvis contentam, capitique fulgenti iniecit velamen. Eadem virgo omnes dolores oblîta domum percurrens servas iuvenes, quarum in gynaeceis suis erant duodecim, iussit mulos currui adiungere, quo veheretur ad templum Hecatae. **Interim Medea e cistula sumpsit unguentum**, quod vocabatur oleum Promethei; eodem quicumque dis inferis obsecratis corpus suum unxerat, illo die nullo ictu gladii poterat vulnerari, nullo igne aduri, immo, per totum diem omni adversario erat superior. Hoc unguentum confectum erat e suco nigro radîcis, quae excreverat e sanguine, qui ex Titanîdae iecore exeso in ericeta Caucasi destillaverat. Medea ipsa sucum huius herbae conchâ recepit medicamentum pretiosum.

Currus erat praeparatus; duae ancillae eundem unâ cum dominâ ascendêrunt, quae ipsa habenis flagelloque comprehensis per urbem vecta est, dum ceterae ancillae illam comitabantur. Ubique homines filiae rêgis concedebant venerabundi. Eadem autem cum per campum apertum vecta templum advenisset, aptê de curru desiluit et ancillas verbis callidis et dissimulatis allocuta: »Amicae« inquit »haud scio, num graviter peccaverim eo quod non remota remansi ab alienis, qui terram nostram advenerant! Nunc ipsa soror mea eiusque filius Argos a me postulant, ut dona accipiam ab illorum duce, qui promisit se domituum esse tauros, et ut illum subsidiis magicis faciam inviolabilem! Ego autem specie assensa illum invitavi, ut huc in templum veniat, ubi sôla cum illo loquar. Hîc dona accipiam, quae postea inter nos distribuamus. At illi dabo venenum fatiferum, ut eo certius pereat! Interim abîte, simulatque ille venerit, ne incipiat suspicari et ut sôla illum ita recipiam ut promisi.«

Ancillis autem placuit consilium callidê excogitatum. Iisdem in templo morantibus Argos unâ cum amico Iasone et auspice Mopso profectus est. Nemo umquam antea mortalium, immo nemo umquam filius deorum tam formosus fuerat quam hîc die fuit Iason, quem, cum esset in tutelâ suâ, uxor Iovis omnibus instruxerat donis Gratiarum. Qui heros pulchritudine erat tam magnificâ, ut ipsi comites, quandocumque eum

aspectabant, admirarentur. Interim Medea cum ancillis in templo versabatur; quamquam eadem cantando tempus terebant, tamen animus virginis principis ad aliam rem avertebatur; nec ullum canticum eidem placebat. Oculi Medeae non versabantur in circulo ministrarum, sed per portam templi trans viam vagantes gestiebant Iasonem. Quantulumcumque crepitum pedis, quantulumcumque auram audiverat, cupidê caput sursum tollebat.

Nec mora, Iason cum comitibus templum ingressus est, tam pulchrê atque magnificê progrediens quam e mari escendit Sirius ipsissimus. Tum virgo ingenti percussa amore est. Oculi eius caligavêre, erubuêre genae ferventes. Interim Medea ab omnibus ministris erat relicta. Diu heros et filia rêgis tacentes stabant unus alteri oppositi, gracilibus quercibus abietibusve similes, quae, dum nullus flat ventus, in montibus penitus radicatae una iuxta alteram stant prorsus immotae; at quasi subitâ procellâ veniente omnia folia tremant strepentes, ita illi aurâ Amoris afflati verba inter se facturi erant commotissima.

»Quid me aspectas«, Iason inquit prior silentium interrumpens, »nunc, cum sum solus apud te? Ego non sum gloriator, quales sunt alii viri, neque domi talis fui. Audê quaerere et dicere, quid tibi placeat; sed memento nos versari in loco sancto, ubi nefas est fraudare: itaque noli me fallere verbis suavibus; vênî tutelam exorans et rogo ut mihi des remedia, quae sorori tuae pollicita es mei causâ. Dura necessitas me cogit, ut auxilium petam tuum; postula gratias, quas vis, et scito te auxilio tuo curis atris levaturam esse heroum nostrorum matres uxoresque, quae fortasse iam in litore sedentes nos deflent, necnon te totâ in Graeciâ ad claritudinem perventuram esse immortalem.«

Virgo autem illum siverat sermonem finire; quae oculos demisit dulce subridens; eius animus laude viri cum delectaretur, oculos sustulit, verba facere cum vehementer cuperet, omnia simul voluit eloqui. Tamen remansit prorsus tacita nihilque fecit nisi ligamentum fragrans devolvit de cistulâ, quam Iason ex eius manibus sumpsit properê laetêque. Sed Amor deus de capite Iasonis flavo Medeae flammam afflavit tam suaves, ut dubium non sit, quin illa, si Iason postulasset, laetê ei datura fuerit ipsam animam e pectore exemptam; quae tam calefiebat quam ros rosîs insitus, qui irradiatur sole matutino. Ambo humi despexêrunt pudore affecti; deinde denuo oculis ab uno in alterum conversis inter se aspexêrunt desiderantes.

Sero demum et aegrê virgo coepit loqui: »Audi nunc« inquit »quomodo opem tibi latura sim. Pater meus si dentes draconis perniciosos ad serendum tibi tradiderit, solus lavare in aquâ fluminis et induere

vestimentis nigris et fode foveam circularem. In eâdem extrue rogam, macta agnam eandemque integram in rogo combûre; deinde Hecatae libâ ex lance mel dulce et abi a rogo. Si pedis gradum, si canis latrâtum audiveris, ne te convertas alioquin libatio erit irrita. Postridie mâne ungue te unguento magico, quod tibi dedi; cui inest vis et robur magnum; quo usus non solum par eris viris, sed etiam dis immortalibus. Ungue etiam lanceam et gladium et scutum tuum, deinde tibi neque nocebit neque resistet ullum ferrum manu humanâ correptum, ulla flamma taurorum mirabilium. At non diu talis eris, sed illo tantum die; tamen nullo modo abstine a pugnâ. Dabo tibi aliud quoque adiuventum. Tauris ingentibus adiunctis et agro perarato si semina draconis a te sata iam exstiterint, illis interice saxum ingens: de eo illi draconigenae furentes certabunt tamquam canes certant de frusto panis; interim illos aggressus poteris trucidare. Tum vellus aureum e Colchide tecum auferas integer: tum abeas; en abi, quocumque vis!« Haec loquens furtim lacrimavit; nam cogitavit heroem ingenuum trans maria iter facturum esse in regiones longinquas. Maesta virum alloquens dextram eius manum comprehendit, nam dolore oblîta est, quid faceret: »Si domum vâneris« inquit »noli oblivisci nomen Medae; ego quoque tui, viri peregrini, meminero. Dic mihi etiam, ubi patria tua sit, in quam revertêris hac nave pulchra«.

His verbis virginis auditis heros non potuit, quin erumperet in haec verba: »Crede mihi, alta princeps, me, si mortem evitavisses, nullâ horâ diei noctisque fieri posse, ut tui obliviscar. Patria mea est Iolcus in Haemoniâ sita, ibi, ubi bonus Deucalion, filius Promethei, multas urbes condidit templaque aedificavit. Ibi terra tua ne nomine quidem nôta est.« - Virgo respondit: »Ergo habitas in Graeciâ, peregrine; ibi homines sunt hospitaliores quam apud nos; itaque ne narres, quaeso, quomodo hîc receptus sis, sed tacitus tantum memento mei. Equidem tui meminero, etsi hîc omnes tui oblîti erunt. At si fieri potuerit, ut tu obliviscaris mei, utinam deinde vento ex urbe Iolco avis aliqua adducatur, qua tibi in memoriam revocem te huc effugisse auxilio meo! Immo, utinam deinde ipsa sim in domo tuâ, ut te moneam!« Haec dicens Medea lacrimavit.

Iason: »O tu bona« inquit »sine ventos flare avemque volare; nam loqueris superflua! At si ipsa in Graeciam meamque patriam vâneris, o quam vehementer mulieres virique te venerabuntur, immo tamquam deam te adorabunt, quia eorum filii et fratres et mariti tuo consilio mortem effugerint patriaeque redditi erunt laeti; et mihi, mihi deinde eris integra, et nos amantes nullâ re disiungêmur nisi morte«. Iasone sic loquente animus Medae audientis vehementissimê commovebatur. At simul virgo conscia erat omnium rerum terribilium, quae sibi imminerent a patriâ si discessisset; et tamen Medea in Graeciam trahebatur vi mirabili, quam Iasonis animae indiderat. Haec enim dea voluit Medeam

Colchidem patriam suam relicturam esse et in Peliae perniciem lolcum venturam esse.

Interim ancillae procul exspectabant quietae et maestae; nam iam pridem tempus erat, quo virgo princeps domum iret. Quae ipsa domuitionem prorsus oblita esset, nam eius animus delectabatur caro colloquio, nisi Iason cautior, quamvis idem quoque sero, sic locutus esset: »Tempus est valedicendi, ne sole prius nobis abeunte alii omnia animadvertant. Fac ut hoc loco iterum inter nos congregemur.«

**MYTHUM ARGONAUTARUM
A GUSTAVO SCHWAB NARRATUM
IN LATINUM CONVERTIT**



LEO LATINUS

NICOLAUS GROSS

<http://www.leolatinus.com/>

VOCABULA DOMESTICA (VII)

ex Orbe Picto pentaglotto excerpta et Latinê reddita

CORBEIL, Jean-Claude/ARCHAMBAULT, Ariane: PONS Bildwörter-buch Deutsch-Englisch-Französisch-Spanisch-Italienisch. Stuttgart etc. (Ernst Klett Sprachen) 2003.

In hōc Orbe Picto mirabili 35.000 (triginta quinque milia) notionum imaginibus sunt illustrata et quinque linguis Europaeis denominata: Theodiscâ et Anglicâ et Francogallicâ et Hispanicâ et Italicâ. Nos autem coepimus addere vocabula Latina, quorum hōc loco praebemus partem earum sextam, quae spectant ad res domesticas (VII. DOMESTICA). Provinciae rerum, quarum imagines et vocabula in Klettiani Orbis Picti paginis 920 (nongentis viginti) inveniuntur, sunt hae quae sequuntur:

I.ASTRONOMIA – II. TERRA – III.REGNUM PLANTARUM – IV.REGNUM ANIMALIUM – V.HOMO – VI.NUTRIMENTA ET INSTRUMENTA COQUINARIA – VII.DOMESTICA – VIII.PLASSATIO DOMESTICA ET OPERA HORTULANA – IX.VESTIMENTA – X.INSTRUMENTA PERSONALIA – XI.ARS ET ARCHITECTURA – XII.COMMUNICATIO ET INSTRUMENTA GRAPHEICA – XIII.TRANSPORTUS ET VEHICULA – XIV.ENERGIA – XV.SCIENTIAE – XVI.ATHLETICA ET LUDICRA.

Babae, quanta copia! quanta ubertas! quanta multiplicitas! Qui Orbis Pictus etiam lexicographis Latinitatis recentioris est aurifodina et cornu copiae. Nam iidem vocabulis linguarum, praesertim Romanicarum, in eodem indicatis usi saepe perfacile inveniunt vocabulum Latinissimum. En cara Lectrix, care Lector, habeas septimam partem domesticam huius enchiridii singularis vocabulis Latinis ditificatam (VOCABULA DOMESTICA VII = VII. DOMESTICA VII).

**Nicolaus Groß
LEO LATINUS**

<http://www.leolatinus.com/>

LUFT-AUFBEREITUNG	AIR CONDITIONING	CONDITIONNEMENT DE L'AIR	ACONDICIONADOR DE AIRE	CONDIZIONAMENTO DELL'ARIA	TEMPERATIO AERIS
p.261 Klimageräte	air conditioning appliances	appareils de conditionnement de l'air	aparatos acondicionadores	apparecchi per il condizionamento dell'aria	temperācula aēria
Luftentfeuchter	dehumidifier	déshumidificateur	deshumidificador	deumidificatore	* disūmidātrum , -ī n.
Hygrostat	humidistat	hygrostat	higróstato	igrostatto	* hygrostatum , -ī n.
Frontgitter	front grille	grille	rejilla frontal	griglia anteriore	rētīculum frontāle
Wasserstand	water level	niveau d'eau	nivel del agua	livello dell'acqua	altitūdō aquae
Tank	bucket	réservoir	recipiente	serbatoio	receptāculum , -ī n.
programmierbarer Thermostat	programmable thermostat	thermostat programmable	termostato programable	termostato programmabile	* thermostatum * programmābile
Display	display	afficheur	display	display	* indicāmen , -inis n.
Wahltaste	choosing key	touche de préférence	botón de selección	tasto di selezione	plēctrum sēlectiōnis
Programmsteuerung	programming control	contrôle de programmation	programador	comando programmabile	* moderāmentum * programmābile
Pfeiltaste	arrow key	touche de déplacement	tecla de dirección	tasto di direzione	plēctrum dirēctiōnis
Gehäuse	housing	boitier	carcasa	Involucro di copertura	capsa , -ae f.
Deckenventilator	ceiling fan	ventilateur de plafond	ventilador de techo	ventilatore da soffitto	* ventilātrum lacūnāris
Blatt	blade	pale	aspa	pala	pāla , -ae f.
Stange	rod	tige	flecha	stelo	pertica , -ae f.
Raumthermostat	room thermostat	thermostat d'ambiance	termostato	termostato ambiente	* thermostatum conclāvium
Abdeckung	cover	couvercle	tapa	involucro di copertura	capsa , -ae f.
Temperaturregler	temperature control	réglage de la température	control de temperatura	regolazione della temperatura	* rēgulāmentum temperātūrae
Solltemperatur	desired temperature	température désirée	temperatura deseada	temperatura desiderata	temperātūra dēsiderāta
Zeiger	pointer	aiguille	aguja indicadora	indice	acus index
tatsächliche Temperatur	actual temperature	température ambiante	temperatura real	temperatura ambiente	temperātūra praesēns
Luftreiniger	air purifier	purificateur d'air	purificador de aire	depuratore d'aria	* pūrificātrum , -ī n.
Luftbefeuchter	humidifier	humidificateur	humidificador	umidificatore	* ūmidātrum , -ī n.
Verdampfer	vaporizer	vaporiseur	vaporizador	vaporizzatore	* vaporāculum , -ī n.

Luftfilter	air filter	filtre à air	filtro de aire	filtro dell' aria	cōlum āēris
Verdampfungs- gitter	vaporizing grille	grille de vaporization	rejilla de vaporización	grilla di vaporizzazione	rētīculum *vapōrātōrium
Kondens- sammler	tray	plateau	bandeja	baccinella di raccolta della condensa	*collēctrum *condēnsātōrium
Wasserstand	water level	niveau d'eau	nivel de agua	livello dell'acqua	altitūdō aquae
Wasserbehälter	water tank	réservoir d'eau	recipiente d'agua	serbatoio dell'acqua	receptāculum aquāticum
Schalttafel	control panel	panneau de commande	tablero de control	pannello di comando	tabula moderātrīx
Hygrometer	hygrometer	hygromètre	higrómetro	igrometro	*hygrometrum, -ī n.
Luftfeuchtigkeit	humidity	humidité	humedad del aire	umidità	ūmiditās āēris
Temperatur	temperature	température	temperatura	temperatura	temperātūra, -ae f.
Raum- klimaanlage	room air conditioner	climatiseur de fenêtre	acondicionador de aire	condizionatore d'aria da camera	temperāculum āēris conclāvium
Kondensator- ventilator	condenser fan	ventilateur du condenseur	ventilador del condensador	ventilatore del condensatore	*ventilātrum *condēnsāmentī
Wärmetauscher	condenser coil	serpentin du condenseur	serpentin del condensador	serpentina del condensatore	tubus serpentīnus *condēnsāmentī
Entlüfter	vent	évent latéral	respiradero	bocca laterale	respīrāculum laterāle
Ventilatormotor	blower motor	moteur du ventilateur	motor del ventilador	motore del ventilatore	*mōtrum *ventilātrī
Verdampfer- spirale	evaporator coil	serpentin de l'évaporateur	serpentin del evaporador	serpentina del vaporizzatore	tubus serpentīnus *vapōrāculī
Gitter	grille	grillage	rejilla	griglia	rētīculum, -ī n.
Schalttafel	control panel	tableau de commande	tablero de control	pannello dei comandi	tabula moderātrīx
Funktionswähler	function selector	sélecteur	selector	selettore	*sēlēctrum, -ī n.
Ventilatorregler	fan control	commande de ventilateur	control del ventilador	comando del ventilatore	rēgulāmentum *ventilātrī
Thermostat	thermostat	thermostat	termostato	termostato	*thermostatum, -ī n.
Lüftungsschlitze mit Jalousie- verschluss	louvre	défecteur	rejilla de ventilación	persiana di ventilazione	rētīculum ventilātiōnis
Verdampfer- gebläse	evaporator blower	ventilateur de l'évaporateur	ventilador del evaporador	ventilatore del evaporizzatore	*ventilātrum evapōrātiōnis
Ventilatormotor	fan motor	moteur du ventilateur	motor del ventilador	motore del ventilatore	*mōtrum *ventilātrī
Gehäuse	casing	boîtier	cubierta	involucro	capsa, -ae f.
p.262 Sanitär-	plumbing system	circuit de plomberie	cañerías	impianto idraulico	systema

installations-system					hydraulicum
Sanitär- installation	plumbing	plomberie	fontanería	idraulica	rēs hydraulica
Dunstrohrabzug	roof vent	chapeau de ventilation	toma del aire de tejado	sfiato	*exspirāculum tēctōrium
Toilette	toilet	w.-c.	inodoro	water	sella familiārica/ pertūsa
Waschbecken	washbasin	lavabo	lavabo	lavabo	labellum, -ī n. [CIL XIV 4190] aquaemanīle, -is n. lavābrum, -ī n.
Badewanne	bath	baignoire	bañera	vasca da bagno	pyelus, -ī n.
Wannen- und Brausegarnitur	bath and shower mixer	mélangeur bain-douche	ducha y bañera	miscelatore vasca/ doccia	pyelus et *pluitāculum
Überlauf	overflow	trop-plein	rebosadero	troppopieno	*redundāculum, -ī n.
Geruchs- versch luss	trap	siphon	sifon	sifone	siphōn odōris arcendae
Abzweigleitung	branch	collecteur d'évacuation	cañería	collettore di scarico	collectāculum, effluvī [I.GROMAT.vet. collectaculum aquae; CASSIOD. collectaculum vesicae]
Abfluss	waste pipe	collecteur d'appareil	conector del desagüe	tubo di scarico	tubus effluvī
Warmwasser- Steigleitung	hot-water riser	colonne montante d'eau chaude	tubería de agua caliente	colonna montante dell' acqua calda	ductus aquae calidae *ascēnsōrius
Kaltwasser- Steigleitung	cold-water riser	colonne montante d'eau froide	tubería de agua fria	colonna montante dell' acqua fredda	ductus aquae frigidae *ascēnsōrius
Waschmaschine	washing machine	lave-linge	lavadora	lavatrice	māchina lavātorīa [MIR 70,233]
Kanalisation	main drain	collecteur principal	cañería del desagüe	collettore principale	collēctāculum prīncipāle [GROMAT.vet. collectaculum aquae; CASSIOD. collectaculum vesicae]
Bodenablauf	floor drain	puisard	desagüe	scarico	ductus effluvī subterrāneus
Wasserzähler	water meter	compteur	contador de agua	contatore dell' acqua	*hydrometrum (volūminis) N.B. ! Ne hoc instrumentum confundas cum hydrometro gravitatis sive densitatis relativae !

Anschlussleitung	water service pipe	canalisation de branchement	tubo de toma de agua	tubazione di allacciamento	tubus aquae annexus
Absperrventil	stopcock	robinet d'arrêt général	llave de paso	rubinetto generale	epitonium generāle
Steigleitung	rising main	conduite d'alimentation	tubo de suministro de agua	condotto di alimentazione	ductus aquae ascēnsōrius
Reinigungsöffnung	main cleanout	bouchon de vidange	tapón de registro	tappo di scarico	obtūrāculum pūrgātiōnis
Warmwasserbereiter	hot-water heater	chauffe-eau	calentador de agua	scaldabagno	calectōrium aquāticum
Fallstrang	soil and waste stack	tuyau de chute	desagüe principal	colonna principale di scarico	tubus effluviī prīncipālis
Abfluss	waste pipe	tuyau d'évacuation	desagüe	tubo di scarico	tubus effluviī
Doppelspüle	double sink	évier double	fregadero doble	doppio lavello	ēluācrum duplex
Entlüftungskreis	circuit vent	colonne de ventilation	derivación de la toma de aire	colonna di ventilazione	tubus ventilātiōnis
Hauptentlüftungssteigrohr	main circuit vent	colonne de ventilation principale	toma de aire principal	colonna principale di ventilazione	tubus ventilātiōnis prīncipālis
Entlüftungskreislauf	ventilating circuit	circuit de ventilation	circuito de ventilación	rete di ventilazione	circuitus ventilātiōnis
Abflusskreislauf	drainage circuit	circuit d'évacuation	circuito de desagüe	rete di scarico	circuitus effluviī
Kaltwasserkreislauf	cold-water circuit	circuit d'eau froide	circuito de agua fria	rete di distribuzione dell'acqua fredda	circuitus aquae frigidae
Warmwasserkreislauf	hot-water circuit	circuit d'eau chaude	circuito de agua caliente	rete di distribuzione dell'acqua calda	circuitus aquae calidae
p.263 Schmutzwasserhebeanlage	pedestal-type cesspit pump	pompe de puisard	bomba tipo pedestal para sumidero	pompa di spurgo	antlia effluviī
Ein/Ausschalter	on/off switch	contacteur	interruptor de arranque automático	interruttore	*mūtāmen, -inis n.
Rückschlagventil	discharge pipe	canalisation de refoulement	tubo de salida	tubatura de scarico	*mōtrum antliae
Schwimmer	float	flotteur	flotador	galleggiante	*fluitāculum, -ī n.
Pumpensumpf	cesspit	puisard	sumidero	pozzetto	puteolus, -ī m. [est deminutivum substantivi, q.e. puteus, -i m.; cfr nomen oppidi, q.e. Puteoli, -orum m.pl. = ital. Pozzuoli]
Schwimmerstange	float clamp	étrier du flotteur	anillo de retención	asta del galleggiante	pertica *fluitāculī
wasserdichter Stromanschluss	waterproofed electricity	prise avec borne de terre	contacto con conexión de terra	impianto elettrico impermeabilizzato	connexus

	supply				ēlectricus aquae impermeābilis
Pumpenmotor	pump motor	moteur électrique	motor de la bomba	motore della pompa	*mōtrum antliae
Versitzgrube	septic tank	fosse septique	fosa séptica	fossa biologica	fossa sēptica [2.PLIN.nat.27,105; 30,30]
Kies	gravel	gravier	grava	pietrisco	silex, -icis m.; glarea, -ae f.
Zulaufverteiler	distribution box	distributeur	caja de distribución	vaschetta di distribuzione	capsa distribūtiōnis
Becken	tank	réservoir	tanque	Vasca	receptāculum, -ī n.
Kanalisation	main drain	collecteur principal	cañería de desagüe	collettore principale	collectāculum prīncipāle
Sickeranlage	leach field	champ d'épandage	área de lixiviación	campo di dispersione	campus dispersiōnis
Lochrohr	perforated pipe	drain	cañería perforada	tubo perdente	tubus perforātus
p.264 Badezimmer	bathroom	salle de bains	cuarto de baño	stanza da bagno	balneum, -ī n. [CIC.Deiot.21]
Schiebetür	sliding door	porte coulissante	puerta plegable	porta scorrevole	foris ambulātis [2.VITRUV.10,8,(13)1]
Brauseschlauch	shower hose	flexible	manguera	tubo flessibile	uter *pluitāculī
Brausenkopf	shower head	pomme de douche	alcachofa de la ducha	doccia	caput *pluitāculī
Duschkabine	shower cubicle	cabine de douche	cabina de la ducha	box doccia	cella *pluitāculī
Handbrause	portable shower head	douchette	ducha de teléfono	docha a telefono	*pluitāculum manuāle [+pluitare: P. Carpentier, L. Henschel. « Glossaire français » (1766, 1850) in du Cange, et al., <i>Glossarium mediae et infimae latinitatis</i> , éd. augm., Niort : L. Favre, 1883–1887, t. 9. « Pulvicinare »,... Pluitare, saepe pluere. Gloss. Isidori. Emendat Gebhardus, <i>Pluutare, pluitare.</i> Suspiscatur Martinius <i>Pulvicinare</i> dictum a ficta voce <i>pulvix</i> , ut sit minutim, et quasi pulverea pluvia pluere. – cfr Gert van der Schueren: <i>Teuthonista</i> , of Duytschlender. Leiden 1804, p.206: “Rhegenen. Pluere. Pluitare. ”]
Wasserhahn	tap	robinet	grifo	rubinetto	epitonium, -ī n.
Überlauf	overflow	trop-plein	desagüe	troppopieno	*redundāculum, -ī n.
Spiegel	mirror	miroir	espejo	specchio	speculum, -ī n.

Handtuchhalter	towel rail	porte-serviettes	toallero	portasciugamano	retināculum manutergiōrum [ISID.orig.19,26,7]
Seifenschale	soap dish	porte-savon	jabonera	portasapone	vās sapōnārium
Einbau- waschtisch	vanity cabinet	coiffeuse	armario del lavabo	mobile portaccessori	armārium labellī
Waschbecken	wash basin	lavabo	lavabo	lavandino	labellum, -ī n. [CIL XIV 4190]
Badewanne	bath	baignoire	bañera	vasca da bagno	pyelus, -ī m.
Podest	bath platform	banquette	zócalo de la bañera	piattaforma della vasca	podium pyelī
Bidet	bidet	bidet	bidé	bidè	scaphium, -ī n. [MART.11,12,16; IUV.6,264; ULP.dig. 34, 2, 27, §597]
Sitz	seat	abattant	asiento	sedile	sēdile, -is n.
Toilette	toilet	w.-c.	inodoro	water	sella ēlutōria
Spülkasten	cistern	réservoir de chasse d'eau	cisterna del inodoro	sciacquone	cisterna ēlutōria
Toiletten- papierhalter	tissue holder	porte-rouleau	portarrollos de papel higiénico	portarotolo	retināculum chartae *hygiēnicae
p.265 Toilette	toilet	w.-c.	inodoro	water	sella ēlutōria
Spülkasten- deckel	cistern lid	couvercle de réservoir	tapa de la cisterna	coperchio della cassetta	operculum cisternae
Nachfüllrohr	refill pipe	tube de remplissage de la cuvette	manguera de rebosadero	tubo di carico	tubus replētōrius
Spülhebel	flush handle	manette de chasse d'eau	palanca de la cisterna	levetta dello sciacquone	vectculus ēlutōrius
Überlauf	overflow pipe	trop-plein	rebosadero	tubo del troppopieno	*redundāculum, -ī n.
Spülarm	trip lever	levier de déclenchement	palanca del tapón	leva di scatto	vectculus ēlutōrius
Schwimmer	float ball	flotteur	flotador	galleggiante	*fluitāculum, -ī n.
Kette	lift chain	chaînette de levage	cadena del tapón	tirante	catēna *levātōria
Klosettdeckel	seat cover	couvercle	tapa del inodoro	coperchio del sedile	operculum familiāricum
Sitz	seat	abattant	asiento	sedile	sedile, -is n.
Klosettbecken	toilet bowl	cuvette	taza	vaso	pelvis familiārica
Ablaufrohr	waste pipe	tuyau de chute	bajante	tubo di scarico	tubus effluviī
Rollring	wax seal	anneau d'étanchéité en cire	aislante de cera	mastice di tenuta	ānulus impermeābilitātis

Geruchs- verschluss	trap	siphon	sifón	sifone	siphōn odōris arcendae
Absperrventil	shutoff valve	robinet d'arrêt	llave de paso	valvola di chiusura	valvula clūsāris [aqua clusaris CIL 6,11535]
Kaltwasser- zulauf	cold-water supply	conduite principale	tubería de agua fría	tubo dell'acqua fredda	tubus aquae frigidae
Glocken- dichtung	conical washer	rondelle conique	junta cónica	guarnizione conica	iūnctūra cōnica
Ventilsitz	valve seat	siège	asiento del tapón	sede della valvola di tenuta	sēdēs valvulae
Ventil	cistern ball	clapet	tapón	valvola di tenuta	valvula, -ae f.
Füllrohr	filler pipe	tube de remplissage du réservoir	boquilla	tubo di riempimento	tubus replētīvus [2.PRISC.15,38; 18,170; DOSITH.46,13; 20]
Schwimmer- ventil	ball-cock supply valve	robinet flotteur à clapet	válvula de entrada	valvola del galleggiante	valvula *fluitāculī

**Haec vocabula domestica
excerpsit et in Latinum convertit
Nicolaus Groß
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

Proxima pars sequetur: VOCABULA DOMESTICA VIII